

VI
V.16458
c. 18

16455. 12 v. c. 2.

V

EXMONACHI
QUOD
AD VOTA MONASTICA JURE
POSTLIMITINII IN LIBERTATEM
RESTITUTI
DISSERTATIO
INAUGURALIS JURIDICA
QUAM
ANNUENTE ILLUSTRI
JURISCONSULTORUM ORDINE
PRO
CONSEQUENDA IN UTROQUE JURE
DOCTORALI DIGNITATE
IN
ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
UNA CUM
ADSSERTIONIBUS EX UNIVERSO JURE
PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI
PROPOSUIT
JOSEPHUS KOVATSCH
CARNIOLUS
DISPUTABITUR
IN MAGNO
UNIVERSITATIS PALATIO
Anno MDCCCLXXXIII die Mensē

VIENNÆ,
TYPIS A BAEUMISTERIANIS.



*Si nolueris polliceri, absque peccato
eris. DEUTERON. XXIII. 22.*

et 23.


IN=030006633

ID= 84104704



§. I.

Dissolutis monachorum societatibus statum
votorum monasticorum examinaturus,
principia quaque, ex quibus Imperanti civili
jus tollendi instituta monastica vindicamus,
præmittere in animum induxi: Verum cum
hæc ipsa principia cuique, qui vel limina ju-
risprudentiæ Civitatis attigit, alioquin nota
sint, et CL. PEHEM hoc idem jus majesta-
ticum argumentis pro more suo solidissimis de-
monstraverit: a) post Homerum Illiada scri-
bere nolui; eoque potius studium meum con-
tuli, ut quid circa ipsa vota exmonachorum
juris sit, pro libelli mei angustiis paulo accu-
ratius disuterem. Scio equidem, mihi cum
theologis rem esse, dum vota scritari in ani-
num indico: verum quoniam hic non agitur



de poenitentia votum frangenti injungenda,
sed in eo potius cardo quæstionis vertitur,
an sublato in nostris terris instituto quodam
monastico vota monachorum adhuc perdurent,
haud mihi timendum esse duxi, ne hanc quæ-
stionem præjudicialem discussurus in alienam
messem falcam meam injiciam.

a) Vide Versuch über die Notwendigkeit einer vorzunehmenden Reformation der geistlichen Orden,
und das Recht der Regenten aus eigener Macht
dieselben in ihren Ländern zu reformiren, einzuschränken und aufzuheben.

§. II.

Sane si in re aliqua scholasticos inter dis-
sensio quæquam atque alteratio est, profecto
circa hanc materiam multo est maxima. Ple-
rique utpote libertatis inimici votorum obli-
gationem licet dissoluta sit societas monastica,
inviolatam permansisse adfirmant, anxiisque
exmonachis identidem inculcant, ut ab eo-
rum custodia recedere ne præsumant: Pauci
aliqui quibus videlicet plus est humanitatis,
a votis, quibus antea ligati erant, immunes
eos pronuntiant, sed et hi dissentient quoad
principia, quibus hanc ab obligatione voto-
rum libertatem superstruunt; alii enim Imper-
rantem, dum monachos dispersit, vota quo-
que

que eorum irritasse dicunt; alii materiam votorum factam fuisse impossibilem adserunt; alii denique viam gratiae a solo Pontifice impetrandæ eis consulunt.

§. III.

Votum definitiunt cum divo THOMA 2.

Q. 88. art. 1 et 2, quod sit spontanea et deliberata promissio Deo facta de meliori bono. Hæc definitio licet communis sit, non omne tamen punctum ferre videtur. Bonum enim melius nihil est aliud, quam id, quod perfectius dicimus; quod autem perfectius est, non amplius sponte præstamus, sed ex legis naturæ necessitate: utque adeo vovere idem esset ac Deo aliquid promittere quod ex lege naturali ei alioquin debemus; sed quomodo quæso id voti objectum esse potest? Ponas enim te in votum deducere, quod vi legis naturalis jam debes, et tua intentio sit oportet, ut majorem tibi imponas obligationem id ipsum præstandi, hoc ipso autem legem naturalem, quæ id ipsum præcipit, non satis efficacem esse supponis, atque adeo Deum legum naturalium imperfectarum conditorem arguis; quasi vero leges a Deo latæ privato hominum arbitrio efficaciores in ordine ad producendam obligationem internam reddi possent?

§. IV.

Considerant theologi votum tanquam pactum inter Deum et hominem initum. Verum Deum initio cum hominibus foedere iisdem quid promittere posse, nemo nisi atheus negat. cum homines rerum omnium indigent liberalitatem divinam experiri valeant, immo eamdem habeant necessariam. Ast supremum Numen in se sufficientissimum, cui alias omnis ad perfectiones progressus debetur, pacto quodam opus habere. ut exinde novum aliquod jus adquirat, per spicere adhucdum non potui. Cum Deo enim pacisci quid est aliud, quam ex to suo in to Dei aliquid transferre, id vero quomodo fieri potest? an non omnia jam Dei sunt, ut hominum arbitrio novo aliquo jure eum instrui debere arbitreris?

Est quidem obligatio ex voto naturalis; qui enim votum violat, contra officia erga Deum et erga se ipsum agit: contra officia erga Deum, cum majorem Dei gloriam, quam singulari modo illustrandam in se recepit, non promovet, contra officia erga se ipsum cum profectum in perfectionibus negligit, ast hac votu contraria actione to Dei non violatur. Sane etiam ille qui furatur, contra Dei agit

agit voluntatem , nemo tamen dixerit , to
Dei turbari , ita et qui votum frangit , con-
tra Dei agit voluntatem , to tamen Dei ,
quod incrementi et decrementi non est capax ,
non diminuit . Quod idem ex voto simplici
adhuc luculentius patefecit . Nonne ea est pa-
cti natura . ut qui jus aliquod per pactum in
alterum transtulit , hoc ipso facultatem mo-
ralem amittat ad omnes actus huic juri oppo-
sitos ; ponamus itaque vota a Deo acceptari
et instar pacti esse , tunc is ; qui votum ca-
stitatis emittit , hoc ipso ob jus istud novum
Deo acquisitum inhabilis esse deberet ad ma-
trimonium ineundum et tamen nec communis
Ecclesiæ nostræ praxis nec Pontifex in *cap.*
Un. de vot. et vot.red in *VI.* nec sancti Pa-
tres ejusmodi matrimonia pro invalidis decla-
rant , quin acutissimi etiam theologi ea non
tantum valida dicunt , sed plane parti vo-
venti jus tribuunt debitum conjugale peten-
di . Sed sufficiat , dubia tantum quædam
proposuisse , hac enim de re dissertationem
scribere nolo ; inde videndum tantum nobis
erit , quid ex retenta etiam communi voti de-
finitione , & concessis etiam theologorum de
voto conceptionibus circa meam materiam de-
duci possit , et quid etiam debeat ?



§. V.

Votum dividere solemus in simplex et solenne ob diversos effectus, qui ei recentiori ævo tribui cooperunt. Ignota ante GRATIANUM hæc erant nomina, neque ulla apud antiquos exstabant vota, quæ actum voto oppositum irritassent, licet eum illicitum reddiderint, ut patet ex CYPRIANO, BASILIO AUGUSTINO et aliis. Ita vero CYPRIANUS epist. II et 26 qui castitatem Christo moverunt melius eis esse ut nubant, quam ut in ignem deliciis suis cadant. BASILIUS ad AMPHILOC. can. 20 et 50. quæcunque mulieres virginitatem professæ sunt, et postea matrimonia mulerunt, non existimo, eas oportere condemnari, AUGUSTINUS. Causa XXVII. q. 1. can. 41. §. 2. qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur satis acute et diligenter considerare, quid dicant et in lib. de bono Viduit. c. 8. 9. et 10 expresse ait, talium separationes peccatum esse. Primus omnium fuit INNOCENTIUS II, qui in synodo romana anno 1139. celebrata matrimonium a monacho aut moniali contractum irritavit, sed nec dum tamen tunc temporis stabilis erat circa vota Ecclesiæ disciplina, neque satis expeditum erat usque ad BONIFACIUM VIII. in quo ipsa solennitas voti, qua

a simplici quoad effectum dirimendi matrimonium differret, consisteret, donec hic Pontifex in cap. un. de vot. et vot. red. in VI. statueret: illud solum votum debere esse solenne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solennizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem factam alicui de religionibus per sedem apostolicam adprobatis.

§. VI.

Ex dictis ergo patet, vota monastica, quæ super eo emituntur, quod candidatus monasterio seu ordini promittit, recentiori ævo facta fuisse solennia, istamque solennitatem, uti et effectum illum, quod matrimonium dirimant non ex natura voti profluere sed institutionis humanæ esse, quemadmodum fatetur ipse Pontifex in cap. un. de vot. in VI. Nec minus etiam elucescit, istam solennitatem subsequis primum temporibus ab Ecclesia votis monasticis superinductam naturam voti haudquaquam immutasse, cum simplex æque ac solenne votum sit promissio Deo facta de meliori bono.

Scholion. Quid in professione religiosa agatur, notum est: Candidatus videlicet promittit monasterio, se coelibem vitam absque proprio sub-

imperio superioris monastici acturum", quam promissionem ita volentibus ordinum fundatoribus, ut eo fortiori vinculo monasterio adstringatur, notis illis tribus votis obedientiae, paupertatis, et castitatis confirmat; porro promittit, se regulam ordinis ad amissim servaturum; monasterium contra pro hac duplici promissione ei policetur perpetuam sustentationem, et reliqua vitae monasticae commoda. Ex quo videmus, mutuas illas promissiones naturam permutationis habere, cum candidatus juribus quibusdam renuntiet, ut commoda ordinis consequatur et monasterium vicissim retentis his juribus candidatum in gremium suum non recipiat. Haec permutatione porro ab utraque potestate ecclesiastica et civili acceptatur, et singulares quosdam effectus fortitur.

§. VII.

Sed jam ad questionem illam progrediamur, ad quam tota mea collimat oratio, an videlicet exmonachi suis quondam emissis votis, quibus qua membra ordinum ligati erant, dissolutis his societatibus adhucdum stringantur?

Qui nonnisi tres vota solvendi modos agnoscunt, facile ad unum alterumve horum configiunt. Inde sunt, qui Imperantem, dum instituta monastica sustulit, vota quoque ipsa

ipsa irritasse censem; sunt iterum qui vota quidem nondum cessasse adserunt, sed per dispensationem ecclesiasticam ea solvi posse arbitrantur: sunt denique, qui vota eam ob causam vim obligandi amississe adfirmant, quod exmonachi jam non amplius ea, quæ votis promiserunt, præstare possint.

§. VIII.

Verum qui ad irritationem provocant, immunitatem ab obligatione votorum nequaquam evincunt. Ad hoc enim, ut vota monastica a principe irritata fuisse tuto adfirmare possumus, declaratione opus est, qua Princeps hæc vota civitati nociva pronuntiat, ubi vero, quæso, ista est declaratio? ubi vel minimum vestigium, custodiam votorum fuisse prohibitam?

Sane si Imperator vota ipsa monastica annullare intendisset, finique civitatis ea nocere existimasset, quid obsecro amplius causæ esset, cur dispersos monachos intuitu votorum ad episcopos remisisset? et quomodo quæso, facultatem alia intrandi monasteria eis concedere potuisset?

Schol.

Schol. Dum vota monastica per irritationem Imperatoris haud cessasse doceo, nequaquam jus irritandi vota, quod civitatum rectoribus vi nexus civilis competit, in dubium vocare mens fuit; hoc enim jus majestaticum et ipsi theologi agnovisse videntur, qui hanc regulam generalem statuunt: *Omnes eos posse irritare vota, a quorum arbitrio quis dependet vel ratione materiae vel ratione personae.* vid. BONACINA Tom. 2. Disp. 4. quæst. 2. p. 7. §. 2. Conf. quoque SUAREZ lib. 6. cap. 2. Item LESSIUS AZORIUS, NAVARRUS, et alii apud BONACINAM loco cit. Et profecto cum passim convenient theologi: maritum vota uxoris, dominum vota servi, patremfamilias vota filiif. tutorem vero a pupilli irritare posse, qua fronte Imperanti civili ratione suorum subditorum hoc jus denegare poterimus?

§. IX.

Eodem modo illi, qui dispensationem quasi unicam post naufragium tabulam exmonachis nostris consulunt, non attendunt, sed dum Charybdim vitant, in Scyllam incidere. Vel enim obligatio ex votis apud Deum integra persistit; vel vero mutatis adeo circumstantiis vota ista alioquin omnem vim obligandi amisere. Si primum, dispensare est ultra limites potestatis a Christo Ecclesiæ concessæ: si secundum, quem quæsto effectum ista

ista declaratio antistitum amplius fortietur? Ego equidem nullum video, nisi forte hic sit, quod exmonachis alias erudiri nesciis vanos scrupulos adimat.

Schol. Certissimi juris est, illum tantum posse a legge eximere, qui legem tulit; cum itaque hanc legem: observa vota, quæ lex naturalis est, Ecclesia non condiderit, inde ei potestatem dispensandi in sensu proprio merito denegamus. Et profecto cum passim doceant theologi, votum validum instat parti esse, per omne vero pactum jus aliquod in alterum transferamus, an non jus proprie dispensandi Ecclesiæ concedere idem esset, ac ei tribuere potestatem Deum ipsum jure ex voto adquisito privandi? quod absurdum quis non perspicit? quis enim, nisi rudissimus sit ignorat, Ecclesiam utpote ab ipso Christo institutam juribus Dei præjudicare non posse? Ecclesiæ est docere, monere, animas fidelium, quæ Dei sunt, ad Deum reducere, non vero, quæ Dei sunt, ei auferre.

§. X.

Unde omnem quam ecclesia circa vota sibi vindicare potest potestatem, ad duo capita limitamus: Imo si id, quod in votum deducitur, saluti Ecclesiæ nocere incipiat, hic enim casus si eveniat, poterit ea declarare; votum obligandi vim amississe; et fideles

auctoritatem Ecclesiæ agnoscere tenebuntur
(quamvis in hoc voto nec deficiat intentio
voventis , nec etiam aliud quodquam vitium
ei inesse videatur) eo quod votum incidat
in circumstantias , in quibus inchoare non po-
tuisset. 2do Habet Ecclesia jus eos, qui se vo-
to teneri agnoscunt et in sacro tribunali per-
fidia in Deum commissæ se accusant , ob
hanc injuriam Deo factam ad poenitentiam ad-
monendi , constringendique , ut fidem Deo
datam accuratius liberent. Omnia reliqua ,
quæ scholasticorum volumina pertractant! et
his duobus capitibus superaddunt , haud fir-
mo thalo stare videntur , et in dubium jure
vocantur.

§. XI.

Neque etiam eorum sententiæ subscribe-
re possum , qui materiam votorum redditam
fuisse impossibilem sibi persuadent, Quam-
vis enim de voto obedientiæ hoc facile con-
cedam , cum id superiorem monasticum , qui
sublato ordine non amplius existit, supponat;
et paucissimi etiam de voto paupertatis id ne-
gent, cum ablata a monasterio promissa su-
stentatione ipsi exmonachi de rebus necessa-
riis sibi prospicere debeant; ad votum tamen
continentiæ id extendi non posse quisque vi-
det,

det, cum utique non desint, qui eam etiam
in seculo integre obſervant.

Shol. Quamquam vero adhucdum fervari possit con-
tinentia multo tamen difficultius id fieri, nemini-
nem esse arbitror, qui neget. Fac enim mona-
sterii septa rumpas et medios inter homines mo-
nachos monialesque colloces; et mirum, quam
cito in hominum conversatione stimuli illi, qui
in monastica, solitaria, ab omni peccandi peri-
culo remota vivendi ratione dormitabant, ex-
pergissentur? quam celerirer paruae haec scintil-
lae in ignem quoque prorumpent, vel modicis
etiam alterius sexus, quo penitus carere jam-
jam non possunt, blanditiis accendentibus? nova
itaque media eis erunt querenda, nova arma
paranda ad irrumpentem hunc hostem debellan-
dam, et quæſo, eſtne hoc facile?

§. XII.

Quamquam vero, qui ad dictos tres vo-
ta solvendi modos recurrent, causæ exmona-
chorum nequaquam consuluerunt: liberos ta-
men ab obligatione votorum eos pronuntian-
dos esse censeo, et quidem ob defectum in-
tentionis voventium. Quod jam demonstra-
tum eo.

§. XIII.

§. XIII.

*Votum est spontanea et deliberata promissio
Deo facta de bono meliori uti theologi defini-
unt. Inde est veluti lex privata quam no-
bis metipsis ferimus, dum Deo aliquid sponte
promittimus, quod alioquin præceptum non
est.*

Conf. Tournely Tom. 5. Cap. 4. de voto.

§. XIV.

*Cum votum naturam legis privatæ ha-
beat, omnem vim, quæ ei inest, ab inten-
tione voventis accipiat est necesse, uti leges
civiles omne suum robur a voluntate Imper-
antis desumunt: Et quemadmodum lex alia
quæcumque non nisi secundum voluntatem le-
gislatoris est interpretanda; ita nec vovens
ultra id, quam intendit, obligatus esse cen-
seri debet. Quod idem præclare expressit
BONACINA Tom. 2. Disp. 4. q. 2. cuius hæc
sunt verba: *votum explicandam est juxta inten-
tionem voventis, ratio est, quia votum est velu-
ti quædam lex privata, lex autem obligat, in
quantum legislator intendit, ergo etiam votum ob-
ligat in quantum vovens intendit.* Ex quo fa-
cile intelligimus regulam: ubi nulla adest se*

qb.

obligandi intentio, ibi nullum quoque esse votum, nullamque ex voto obligationem, cum essentiale voti requisitum nempe voluntas desit. Nec difficiliori negotio inde eruimus, injuste eum agere, qui mihi aliquam obligationem ex voto obtrudere vult, quam ego coram Deo mihi contrahere non volui: et ego nisi ille probaverit, meam intentionem eosque patuisse (quod quomodo probare poterit) merito ad libertatem naturalem et jura ceteris communia provocabo.

*Conf. Liber Baro de MARTINI de Lege Naturali
Posit. 622 et 623.*

§. XV.

Quæ de voto in genere dixi, de votis quoque monasticis prædicari possunt: Solennitas enim illa ab Ecclesia votis monasticis superinducta naturam horum votorum adeo non immutavit, ut potius ea ipsa accessorium quoddam sit, quod suum principale sequitur: Inde voto monastico ex quacunque causa corruente, hæc ipsa quoque solennitas tanquam accessorium corruat necesse est. Ex quo intelligimus, hæc quoque vota esse legem privatam, totamque essentiam ex intentione ventium desumere; utque adeo et hæc non

latius pateant, quam monachorum, dum profitebantur intentio exporrigebatur, nec non deficiente voventium intentione oninem vim obligandi amittant, quemadmodum leges aliae deficiente legislatoris voluntate omni robore destituuntur.

Quare et in his votis interpretationem nostram ad monachorum profitentium intentionem quasi ad unicam regulam exigere debemus, nisi aperte in jura libertatis involare velimus.

Schol. Acuto itaque oculo respicias velim, quid ex monachi nostri, dum professionem religiosam emittebant, probabiliter intenderint? quid intendere potuerint? an ad omnes omnino circumstantias votum suum extenderint? an non forte non vovissent, si has circumstantias, in quibus sunt constituti, prævidissent? Et si forte tibi dubium oriatur (quod certe necessario orietur) an monachi profitentes has quoque adeo mutatas circumstantias voto suo comprehendent, cavebis votorum custodiam amplius urgere, et ad regulas in recta ratione fundatas recurres:
In dubio pro libertate esse pronuntiandum: Ampliendam esse partem benignorem et humaniorem; sequendum esse id, quod est minimum. Quas regulas etiam BONACINA loco cit pag. 301. agnoscit hiis verbis: *Si dubitat vovens, an votum emiserit pro omnibus circumstantiis, ex voto non ob-*

obligatur; et non peccat non adimplendo votum, ratio est, inquit ille, quia in dubio melior est conditio suam libertatem possidentis.

§. XVI.


Cum itaque nullum votum, nullaque ex voto obligatio absque intentione voventium concipi possit: jam nostrum est scrutari quid monachi nostri, dum professionem religiosam emittebant, in intentione habuerint, ut inde quid circa vota eorum justum sit, sine errore statuere possimus. Et ut rem ab origine repetamus sic habeto:

Quisque homo a natura sua est liber ab alterius subjectione, capax bonorum possessionis, et facultate morali genus humanum per matrimonium propagandi instructus. Neque etiam vel minimum vestigium sacræ paginæ nobis exhibent, hæc tam præcellentia jura, quibus a natura dotati sumus, per revelationem fuisse limitata: inde cuncti, qui Christi religionem amplexi sumus, hæc eadem jura sarta testa conservavimus, eaque tamdiu retinemus, donec ipsimet libero nostro facto ea abdicamus. Renuntiatione itaque opus est, ut his juribus privati esse dici possimus. Sed cur his juribus renuntiant ho-

mines inquies, cum utique naturæ auctor in bonum finem ea nobis tribuerit?

Causa in aprico est; eæ enim obvenire pos-
sunt circumstantiæ, ut rem aliquam, cui uni-
ce inhiamus, retentis his juribus obtainere non
possimus: nè itaque re ista carere debeamus,
his juribus naturalibus renuntiamus.

Schol. Non est, quod amplius moneam, hanc renun-
tiationem non præsumendam, sed ab adserente
probandum esse, uti alia omnia, quæ sunt fa-
cti; *Perillus. MARTINI de L. N. Posit.* 623.
Neque etiam homines absque justa causa um-
quam his juribus renuntiant; præterea enim,
quod legi naturali repugnet to suum jactare,
summa quoque insania foret jura sua nullo ur-
gente motivo abdicare, *De MARTINI de L. N.*
484. Quinimmo non qualiacunque motiva sus-
ficiunt, sed majora esse debent, quam ea sunt,
quæ pugnant pro his juribus conservandis. Fac
enim esse minora, tunc voluntatem ad renun-
tiationem horum jurium nequaquam permovereunt;
uti in physicis vis minor non vincit majorem.
Ponas etiam æqualia esse motiva, quæ conserva-
tionem jurium connatorum suadent, cum iis quæ
pro re, quam adpetis, certant, tunc quoque needum,
inclinabitur tua voluntas, et his juribus nequa-
quam renuntiabis: uti in physici nullus fit mo-
tus viribus ex utraque parte æqualibus,



§. AVII.

Causa itaque, cur exmonachi his juribus in professione religiosa renuntiaverint, erat motivorum collisio. Postquam enim cum statu monachali vota solennia conjungi coeperrunt, cuique, qui hoc vitæ genus amplexurus erat, hæc conditio proponebatur: si juribus hisce naturalibus renuntiaveris. Necesaria hæc conditio, licet dura sit, impleta tamen fuit a monachis, eo, quod secus ad vitæ institutum, quod ipsorum genio adcommodatissimum videbatur, pervenire haud posse. Ex quo facile eruimus, an hi ex vera animi propensione, an vero refragante animo vota solennia ediderint? Sane actio in collisione patrata numquam vultronea, sed semper invita est. Et porro obsecro te, quid in votis monasticis invenis, quod ad ea emitenda monachos nostros adeo invitare potuisset? Quasi vero dulce esset juribus ab ipsa natura nobis tributis, nec per religionem revelatam ulla ratione restrictis renuntiare. Dicamus itaque necesse est, si ordinum fundatores hæc tria vota professionis formulæ tanquam necessarium requisitum non inseruissent, monachos forsitan consilia evangelica impleturos, numquam tamen dictis votis se obstricturos suisse.

Schol. Bene distinguda sunt consilia evangelica a votis: nam quæ sunt consilii suut ab omni parte libera, uti ait RENATUS BILLUART in suo cursu theologiae Tom. 12. pag. 173. ad ea vero, quæ vovimus lege adstringimur. Consilia evangelica nobis a Cbristo commendantur; non item vota. Qui consilia evangelica non implet, nullam legem migrat; graviter contra peccat, qui votum violat.

§. XVIII.

Neque minus elucefecit, monachos nostros, Idum institutum monasticum petebant, majora et plura motiva sibi repræsentare debuisse pro hoc vitæ genere amplectendo, quam erant motiva pro retinendis juribus naturalibus, nullus enim bonum majus cum minori vult permutare, immo nec cum æquali, verum tantum cum eo, quod sibi ut majus repræsentat, licet a parte rei majus non sit (§. XVI. Schol.)

Schol. Experientia constat, homines objecta ante se posita diversimode sibi repræsentare, et quæ unum maxime movent ad rem adipetendam, alterum non movere: Ex quo sæpiissime evenit, ut quod alii avidissime adipetunt, nos maxime aversemur et vicissim. Unde haud miraberis, ex monachos nostros res quoque minimi momenti, quas tu pro nihilo reputares pro tantis motivis habuisse, ut earum intuitu jura naturali

abdicarent, Sane vita omnibus enris vacua , ab hominum consuetudine remota , let tot peccandi periculis haud exposita , sustentatio ad dies vitae promissa , et quæ sunt reliqua commoda omnibus ordinibus et monasteriis communia , haud erant unica motiva , neque etiam monachis sufficientia videbantur . cur eorum intuitus speciales obligationes contraherent ; secus candidati quæcunque monasteria et quoescunque ordines intrare parati essent ; hæc enim ubique inveniuntur. Præter hæc itaque alia adhuc motiva adfuisse necesse est , quæ voluntatem eorum ad id permoverunt. Sic sæpius clima regionis , situs loci , monasterii figura , pulchritudo templi , forma et color vestitus , vicinitas alicujus personæ cognatæ , amicitia cum quadam commoniali in seculo jam incepta , vietus singularis , speciale fe recreandi genus , ingenium et indoles reliquorum comitiorum , quæ cum moribus candidati maxime conveniebant ; et quæ sunt alia adhuc minora apud illos tanti erant , ut si fors unica circumstantia ex his defecisset , motiva pro conservandis juribus naturalibus prævaluissent , illique numquam vitæ monasticæ se mancipassent.

§. XIX.

Ex quibus si recte video , jam clarum fit , quid monachi nostri , dum profitebantur in mente habuerint , et an votis quoque pro eo casu sese obstringere voluerint , quo mo-

tiva illa, quæ eos ad reiungiandum juribus naturalibus impulerunt, surrepta sunt?

Nec minus etiam ex his promissis tres illas maxime controversas quæstiones decidere poterimus: 1mo An monachi nostri in seculum positi votis suis adhuc stringantur. 2do an vi voti alios ordines in nostris terris adhuc subsistentes intrare teneantur. 3to An si emigrare per Principem licet, in alieni Imperantis territorio sui ordinis monasteria quærere obligentur?

§. XX.

Monachos suis votis non amplius strinxi, si monasteria sua relinquere eos oportet, facile convincor. Omnes enim theologi consentiunt, illud, quod in votum deducitur, debere esse bonum melius, docentque rem indifferentem a Deo non acceptari. His admissis jam quæso; an exmonachis nostris, quos inter ceteros homines ambulare videmus, perfectius sit a connubio abstinere quam nubere? (De illis loquor quos sacri ordines coelibatui non subjiciunt) sane si antea jam continentiae donum non habebant, et novis adhuc incontinentiae periculis exponuntur, id adserere adeo non audeo, ut potius APOSTO-

LI consilium valere aexistimem: melius eis esse ut nubant, quam ut urantur. Quid? quod PETRUS LEDESMA Tract. 10. cap. 2. dub. 5. BONACINA Tom. 2. Disp. 4. q. 2. p. 2. SANCHEZ Lib. 4. cap. 8. n. 9. aperte dicant: invalidum esse votum castitatis factum ab eo, cui salubrius est matrimonium ob incontinentiam.

Schol. Inde judicare licet, quid de votis perpetuis sentiendum sit? cum enim saepius ob mutatas circumstantias illud ipsum quod antea perfectio- nem attulit, dein imperfectionem inducat; et tamen bonum melius de essentia voti esse arbitrentur, manifestum est, nos tamdiu in perpetuum aliquid vovere non possemus, quamdiu impedi- dire non possumus, quominus aliquid ob cir- cumstantias obevenientes malum fiat, quod antea bonum erat. Quinimo si id, quod in votum deduximus, deinceps incipiat esse malum, licet antea bonum melius fuerit, adeo hoc vo- to amplius non stringimur, ut potius ab eo re- cedere plane obligemur, nisi nos contra volun- tatem divinam imperfectiores reddere velimus.

§. XXI.

Porro juvenes candidati facile permo- veri poterant, ut proprio arbitrio, bonorum possessioni et conjugio renuntiarent, neque etiam recusabant hanc renuntiationem votis

confirmare, cum alioquin viderent, se his juribus in monasterio aut non indigere aut commode uti non posse : Fac vero ingressuris candidatis monasterium tollas, sustentationem a monasterio promitti solitam deneges, et monasticam vivendi rationem, quam ut unicum contra incontinentiae pericula pugnaculum eligere volunt prohibeas, et tum rogo, ex his candidatis quæras, an adhuc dum his juribus renuntiandi ipsis voluntas sit? et si tibi negant, quomodo quæso votum aliquod exculpere amplius potes? Nec dicas sublato instituto monastico alia adhuc superesse media castitatem (de qua maxime controvertimus) servandi, quæcunque enim eis suggeris, ad ea tamen non obligantur, si in intentione sua, dum vovebant, ea non sunt complexi. Accedit quodsi ex hoc capite custodiām votorum urges, quod ea etiam in seculo observare non sit impossibile; nobis omnibus, qui numquam de voto aliquo ne cogitavimus quidem, obligationem ex voto imponas necesse est, cum et nos maxima adhibita diligentia a matrimonio abstinere possemus: quod cum absurdum esse arbitreris, cur quæso id idem monachis quoque non sit absurdum? cur eos pejoris conditionis esse cupis, cum neque hi ad plus obligentur, quam se obligatos esse voluerunt. Et demum

ponamus quoque, omnia, quæ objicis vera esse; saltem mihi concedas necesse est, sublatis tot mediis continentiam servare exmonachis nostris multo difficilius esse. Jam quæro an homo, qui se obligavit ad rem aliquam, si eam facile præstare potuerit, se quoque ad rem difficilem obligasse censendus sit? Jus naturæ id negat; quin immo et ipsi theologi in ipsissima votorum materia: sic BONACINA Tom. 2. pag. 286. SOTUS Lib. 7. q. I, art. 2. SANCHEZ Lib. 4. cap. n. II, aperte docent; *voventem adire limina apostolorum. quæ credit non longe distare, et postea comperit longe distare, non teneri ad servandum votum, certe nullam aliam ob causam, quam quia difficultius est longam viam peragere adeoque deest voluntarium.* Utque adeo exmonachi jam ob hanc solam difficultatem supervenientem in libertatem sint vindicandi.

Conf. CL. PEHEM. Versuch über die Nothwendigkeit
ic. Seite 151. 152 und 153.

§. XXII.

Demum votum absque voluntate concipi non posse sæpius dixi; jam vero ex te quæro, an voluntas in candidatis adfuisse præsumenda sit se obligandi etiam pro casu, quo mo

monasticam vivendi rationem una cum suis
commodis eis sustulisti ? Ego equidem id
præsumere non auderem, cum certo sciam
voluntatem motivis, flecti et cessantibus mo-
tivis ipsam quoque cessare. Sane irratio-
nalis profusio est absque motivo juribus
naturalibus renuntiare, et quæso an non
to suum jactare legi naturali repugnat ?
quod autem huic repugnat an præsumi po-
test ? Inde si votorum custodiam diutius urge-
re cupis, probare te oportet, monachos no-
stros facultati nubendi renuntiare quoque vo-
luisse pro casu, si nil vicissim pro hac renun-
tiatione accipiant ; hoc vero quomodo poten-
tis ? exmonachi nostri de his, in quas inci-
derunt, circumstantiis in professione religio-
sa ne cogitarunt quidem, quomodo ergo vo-
luntas eorum, quæ numquam in incognitum
fertur, ad eas trahi potest ?

Conf. §. XVI. Schol. et §. XVII.

§. XXIII.

Præterea expediti juris est, errorem sub-
stantialem quascunque promissiones et quæ-
cunque pacta vitiare, cur itaque vota
quoque ob errorem substantialem impug-
nare non liceat ? Quid ? quod theologi
aperte doceant vota ex errore emissa nulla
esse

esse: Sic BONACINA, SOTUS, SANCHEZ
locis supra citatis invalidam dicunt professio-
nem factam abeo, qui se credebat profiteri in una
religione et postea invenit, se professum in alia?
quare ergo nostrorum exmonachorum vota
non declaras nulla quæ uti videmus æque
errore substantiali emissa sunt; quin immo a
potiori, cum in seculo vota servare adhuc
difficilius sit, quam in altero aliquo mona-
sterio.

Conf. §. XVI. Schol. et §. XVII.

§. XXIV.

Et si præconceptæ tuæ opinioni tantum
tribuis, ut quæ hactenus in favorem exmo-
nachorum adduxi, nec dum te tangent: vi-
de faltem, quam clare ex ipsis theologorum
scriniis eorum libertatem eruamus. Ut alios
taceam, TOURNELI cap. 3. art. 6. de voto
expresse ait: si quis principaliter voverit hanc
religionem, puta Carthusianorum, vel huncce nu-
mero conventum, liber erit a voto. si in illa vel
in isto recipi non possit: cur itaque nostris ex-
monachis libertatem denegas, dum in mo-
nasteriis, in quibus principaliter voverunt,
amplius conservari non possunt? Clarius ad-
huc de eadem materia differit BONACINA.

Tom.

Tom. 2. Disp. 4. pag. 305. hanc quæstionem proponens: *an qui vovit ingredi religionem, et non fuit admissus, teneatur ex vi voti ad castitatem, paupertatem et obedientiam;* et ipse respondet, *eum non teneri his votis:* Nam inquit ille, *bæc onera sunt illistatui adnexa et censentur promissa dependenter ab assumptione illius statutus:* cur itaque nostros exmonachos ex eadem ratione liberos non pronuntiamus, cum itidem tantum dependenter a monastica vivendi ratione in hoc determinato monasterio vel in hoc definito coenobiorum numero votis obstringi voluerunt.

Ulterius pergit BONACINA: *nisi ille principaliter voverit castitatem, tunc tenetur in seculo eam servare:* perbene, tunc et ego non repugno, cum adsit intentio necessarium ad votum requisitum. Verum utrum nostri exmonachi castitatem principaliter servare voluerint, merito dubitabis, cum ipsi exmonachi id negent. Quærit itaque BONACINA, *quid si dubitatur. an principaliter voverit castitatem an vero dependenter a religione, an teneatur eam servare in seculo?* et respondet *eum non teneri, ratio est,* inquit ille, *quia possessio stat pro libertate voluntatis, tum quia in dubio voti vovens te-*

tenetur ad id, quod est minus. En! quam clare hic theologus pro exmonachis perorat.

Conf. §. XIV, et XV. cum Schol.

§. XXV.

Et tandem si nulli scrupulo tibi ducis adserere; obligationem ex juramento cessare; quamprimum promissio, cui id adjectum fuit, obligare definit; et militem quoque omni obligatione religionis absolvit, dum bellidux eum amplius conservare aut non potest, aut non vult, cur quæso nostros exmonachos a votis liberos non pronuntias, cum vota quoque tantum accessorium sint professionis religiosæ cum in finem promissioni monasterio factæ adjecta, ut candidatus eo fortiori vinculo monasterio adstringeretur, cumque ex formulis professionis satis adpareat, Deum non nisi in testem adhiberi pactionis illius mutuae quæ inter candidatum et monasterium celebratur.

Conf. §. VI.

§. XXVI.

§. XXVI.

Neque etiam exmonachi nostri alterius ordinis monasteria intrare tenentur. Cum enim de aliis ordinibus ne cogitarunt quidem, nunquam intentionem suam ad eos exporrexerunt, inde nec obligatio quæpiam concipi potest. Et sane licet iste alter ordo multa habeat communia cum ordine, in quo voverunt, non tamen omnia, quæ eos ad vota permoverunt, in eo reperiunt; utque adeo, cum non tot adsint motiva pro renuntiandis juribus naturalibus. ut vincant motiva pro eorumdem conservatione pugnantia, de voluntate eorum, quæ tamen unicum est fundatum obligationis amplius præsumi non potest. Quid quod ipsi theologi expressis verbis eos ab hac obligatione eximant. Sic TOURNELIUS ait: *si quis principaliter voverit hanc religionem puta carthusianorum, vel huncce numero conventum, liber erit a voto si in illa vel in isto recipi non possit: ergo etiam fieri debet liber, si in eo conservari non potest.* Similem quoque casum proponit BONACINA cit. loc. q. 2. punct. 5. §. 2. quæritque, *an is, qui in genere vovit religionem, et postea a religione jam facta professione ejiciatur, teneatur aliam religionem ingredi: et respondet: eum non teneri, nisi id expresse intendat vovens? cur itaque nos*

nostros exmonachos pejoris conditionis existimemus, et eos invitos cum summa libertatis læsione alium habitum induere cogamus: cum alium ordinem expresse non intenderint? Accedit, si Bonacina tantum favorem tribuit ei, qui religionem in genere promisit, et in poenam a monasterio ejectus est, cur nostraes Scholastici, libertatem monachorum et monialium innocentium, quique in determinato tantum monasterio vel ordine se obligatos esse voluerunt, tanto odio prosequuntur?

*Conf. LESSIUS AZORIUS REGINALDUS, et
alii apud SANCHEZ. Lib. 4. cap. 16. n. 16.
repete quoque §§. XVI. in Schol. XVII. et
XVIII. Schol.*

§. XXVII.

Cumque monachi ad plus non obligentur in materia votorum, quam in intentione sua, dum vovebant, sunt complexi, adduci quoque non potui, ut eorum sententiæ subscribam, qui adfirmant, eos, si emigrare per Principem licet, in alienis territoriis sui ordinis monasteria quærere debere. Nec dicas exmonachos nostros certo certius voluntatem suam etiam ad monasteria extra provincias

nostras sita extensuros fuisse, si hunc casum prævidissent; quippe hoc libertatem eorum nequaquam restringit. Omnes enim theologi convenient, si de obligatione voti sermo est, non esse attendendum, quid vovens vovisset, aut promisisset, sed quid actu voluerit et intenderit? Et certe licet eadem sit regula ordinis in alienis territoriis siti, diversa tamen sunt cetera adjuncta: diversum clima, diversum commonachorum ingenium, diversa indoles, quæ hoc ipso cum diversa sint, motiva esse desinunt, quæ eos ad renuntiandum juribus naturalibus permoveare possent.

Repete §. XVIII.

§. XXVIII.

Adstipulantur sententiæ meæ theologi. Inter alios BONACINA loco cit. pag. 305 ita differit: is, qui vovit aliquod institutum, si in id non admittitur, non tenetur adire monasteria extra provinciam, ut in illis admittatur, nisi expresse vel tacite intenderit obligare se ad illa, dum votum emisit. Verum pérgit ille, si dubitetur, utrum intenderit se conferre ad monasteria extra regionem posita præsumitur non intendisse: quia usu receptum est, ut fere nullus voveat re-

li-

ligionem a sua provincia distantem, ergo in du-
bio non præsumitur se obligasse ad extraordina-
riam diligentiam, seu ad quærenda monasteria ex-
tra provinciam. Adeo in favorem exmonacho-
rum hæc scripta sunt, ut nihil habeam, quod
addam.

Conf. SYLVESTER, SOTUS, ARRAGONIUS,
SANCHEZ et alii theologi locis a BONACINA
citatis.

§. XXIX.

Sed satis jam argumentorum est. Affa-
tim enim vidimus, exmonachos mutatis adeo
circumstantiis a votis ita immunes esse, ac
si nunquam vorissent; et id quidem ipso ju-
re, absque ulla Antistitum Ecclesiæ declara-
tione. Unicum duntaxat BONACINÆ locum
controversiæ nostræ adprimis applicabilem
audire lubeat. Ita vero hic præclarus theo-
logus: obligatio voti cessat, quoties supervenit
notabilis mutatio et difficultas, quæ si prævisa
fuisset, votum judicio prudentis factum non fuis-
set, ratio est, inquit ille, tum quia votum non
obligat ultra votantis intentionem, est enim lex
privata, quam sibi votans imponit, votans autem
non præsumitur habuisse voluntatem obligandi se

uperveniente tali mutatione; tum quia censetur factum sub hac tacita conditione. nisi superveniat notabilis mutatio. Ita quoque MOLINA Tom. 2. Disp. 172. NAVARRUS cap. 18. n. 7.

Repete §. IX.

§. XXX.

Jam superest, ut videamus, quibus argumentis adversarii sententiam meam impugnant, monachisque nostris obligationem quamdam obtrudere cupiant, quam nec divina, nec humana jura. nec propria eorum intentio eis imposuere. Ajunt vero: exmonachos propria auctoritate votis se solvere non posse, cum nemo sit judex in causa propria. Votum esse rem spiritualem, inde judicium circa vota soli Ecclesiæ esse relinquendum, eo magis, cum sermo sit de votis solennibus. Tutiorem sententiam esse sequendam, inde standum esse pro obligatione voti. Et tandem nefas esse pronuntiare pro libertate, dum jus Dei ex voto adquisitum collidit cum libertate humana. Singulis respondebo.

§. XXXI

Cur exmonachi nostri non sint judices voti
a se emissi plane ignoro; supra enim ostendi vo-
tum omnem vim suam a voventis intentione
accipere; quis vero quæso, intentionem vo-
ventium melius perspicere potest, quam vo-
ventes ipsi? Sane nemo negat, Imperante in
optimum esse judicem, optimum interpretem
legis a se latæ, cur itaque voentibus hoc
judicium circa vota denegas, cum votum
quoque lex sit, cujus auctores sunt voentes
ipsi? Ex quo prono alveo fluit, Ecclesiæ in-
terpretationem circa vota non esse authenti-
cam, sed tantum doctrinalem, qualem vide-
licet faciunt homines privati circa legem pub-
licam. Nec minus inde intelligimus Ecclesiæ
antistitum judicium circa vota monastica in
utrumque extreum incidere posse, nisi feratur
juxta intentionem monachorum voentium.
Quin immo nec in ipso sacro tribunali po-
nitentiam imponet prudens conscientiæ arbi-
ter, licet exmonachus se actionis accuset alias
voto monastico contrariæ, si ex ipsius confi-
tentis verbis et ex circumstantiis judicare po-
test, votum ob deficientem voluntatem vo-
ventis omnino extinetum esse. Quare Eccle-
sia in hac materia potestate sua recte uter-
tur, si eum, qui pro omnibus omnino casibus

expresse vovit, adhuc dum pro obligato habeat; eos vero exmonachos, qui voluntatem suam ad has adeo mutatas circumstantias non extenderunt, juribus omnibus, quæ ceteris fidelibus communia sunt, uti patiatur.

Conf. §. XIV. et XV.

§. XXXII.

Nec solennitas votis monasticis ab Ecclesia superinducta impedit, quominus tantum voventes sint legitimi votorum interpretes. Hæc enim solennitas votorum naturam non immutavit, et sequitur naturam actus, cui adjicitur, inde voto ob defectum intentionis corruente, hæc ipsa quoque solennitas corruat necesse est: (§. VI. et XV.) Et porro quod maximum est, quis dicet, Ecclesiæ antistites quoad vota monastica clarius animi sensa perspicere, quam voventes ipsos, non vero quoad vota simplicia? quasi vero per istam solennitatis adjectionem tantam intelligentiam nati fuissent, ut in intimos cordis recessus penetrare possint.

Aequo parum me movere potuerunt ii, qui exmonachis tutiorem sententiam inculcant;

cant: tutorem enim sententiam esse sequendam, nisi simul probabilius sit, dudum ante me negavit *Celeberrimus de MARTINI de L. N. Posit.* 209. Et quæso an non ex hac tenus adductis argumentis probabilius est sententia, exmonachos nostros non amplius esse votis adstrictos. Quid? quod nec tutius sit adserere, eos adhuc votis obstrictos esse: his enim si matrimonium denegas, continuis incontinentiae periculis eos exponis, et amabo; estne hoc tutum?

§. XXXIII.

Neque etiam video jus Dei ex voto adquisitum cum libertate humana collidere. Deus enim ex nulla promissione plus juris adquirit, quam voventes in eum transferre voluerunt, cum itaque exmonachi nostri promutatis adeo circumstantiis se Deo obligare non intenderunt; dicamus necesse est, eos extra omnem collisionem esse positos et tuta conscientia libertate, quam non alienarunt, frui.

Unde si omnia argumenta hac tenus adducta animo præjudiciis vacuo perpendamus, fateamur necesse est, exmonachos nostros ita immunes esse ab obligatione votorum, ac si

nunquam iisdem obstricti fuissent; atque adeo perfecto Jure Postliminii gaudere. Et quemadmodum romani cives ab hoste capti, si dominum revertebantur, desinebant esse servi iuris gentium, bona sua recuperabant et facti erant participes connubii romani: ita et exmonachi nostri dissolutis suis societatibus liberi sunt a servitute superiorum monasticonrum, habiles ad possidenda bona, et matrimoniī ineundi capaces.

Quod erat demonstrandum.

§. XXXIV.

Exmonachos nostros nulla dispensatione indigere ostendi (§. IX. XII. et seqq.) Cum tamen videmus aliquos eorum mille scrupulis angi, nisi auctoritate rescripti ecclesiastici securi reddantur, se bonae suæ conscientiae fidere posse: cum præterea quotidie animadvertisimus, eos dispensationem ab antistitibus ecclesiasticis humillime petere et tamen nunquam non acerbissimam repulsam referre, pauca quædam de dispensatione adjicere volui, ut adpareat, an rectores ecclesiastici, posito, quod Ecclesia jus proprie dispensandi in votis habeat, recte potestate sua utantur

mu-

mutatis jam circumstantiis dispensationem de-negantes.

§. XXXV.

Si praxim spectes, politiam curiarum ecclesiasticarum circa dispensationes valde variare reperies, et saepius, uti fit in aliis rebus humanis, dat veniam corvis, vexat censura columbas. Non ita in via juris: theologi enim qui hoc genus dispensationis admit-tunt, seduli sunt in causis determinandis, quæ si adsunt, dispensationi locum relinquunt, sin minus, eam denegandam arbitrantur. Videamus itaque, an non ejusmodi causæ ex-monachis patrocinentur, ob quas prælati Ecclesiæ eos dispensare obligentur. SUAREZ Lib. 6. de voto cap. 17. REGINALDUS Lib. 18. CLAVIS REGIA Lib. 6. cap. 12. ad alias justas dispensandi causas referunt quoque: morale periculum saepius violandi votum, dubium de obligatione voti, notabilem difficultatem supervenientem executioni voti. En quæ harum causarum est, quæ pro monachis nostris non peroret: et tamen adhucdum cunctatur Ecclesiæ Antistes; adhucdum medelam adferre, recusat, quæ causæ istius moræ? An hoc saluti animarum conducens?



§. XXXVI.

En BONACINA loco cit. pag. 326. exprefse ait: *superiorem, qui scit obstrictum voto facere contra votum, et taceat, censeri dispensare, rationem addit: quia superior non præsumitur peccare, præsumeretur autem graviter delinquere non dispensare in tali eventu, cum illi incumbat ex officio delicta subditorum impeditre.* Quomodo ergo Antistites nostri qui exmonachos dispensationem flagitantes repellunt, peccati maculam a se declinare poterunt, cum illi tanta votum adimplendi difficultate superveniente pene necessario contra votum agant? Hisce pastoribus monachorum animæ commissæ sunt, quodsi itaque eos dubiis angi, et quotidianis peccandi periculis expositos vident, et tamen medelam adferre negligunt, merito vereantur, ne Deus has animas, si ex oscitanția pastorum percant, ab ipsis sit repetiturus.

§. XXXVII.

Verum inquies, vota monastica indissolubilia esse, aut saltem Pontifici reservata, inde nefas esse Episcopos circa ea quidquam disponere. Videamus ergo, quam ista omnia vacillent? Et quidem unde obsecro te,

votum monasticum tam stabilem vim habet,
ut solvi nullo modo possit? an ex natura sua?
verum quomodo hoc? eadem enim est natura
voti monastici ac voti simplicis, eadem co-
ram Deo obligatio uti fatetur ipse COELES-
TINUS III. qui *clericu et voventes cap. 6.* si
ergo votum monasticum non potest dissolvi,
cur potest simplex? Et sane an votum pub-
lice in manibus prælati emitam, an priva-
tos inter parietes? an certas verborum for-
mulas adhibeam, an nullas, mentem tantum
meam ad Deum dirigens; parum interest;
quippe Deus scrutator cordium non nisi meum
voventis animum respicit, nec solennitates
istæ, cuiusmodi et Nemesis romana ad evi-
tandas fraudes invenit, Coram Omnescio
quidquam ponderis promissioni meæ adjicient.
Utque adeoque plane ignorem, cur non hæc
utraque votorum species pari passu quoad
dispensationem ambulet?

§. XXXVIII.

Nec plus dicunt, qui indissolubilitatis
prærogativam, in pacto illo mutuo, quod in-
ter ordinem et ejus membra intercedebat,
vel in solennitate illa, qua vota monastica
actus sibi oppositos dirimunt, latere arbitran-
tur.

tur. Obligationes enim, quibus exmonachi ordini tenebantur, ab eo inde tempore cesarunt, ex quo et ordo ipse promissione sua profitentibus facta stare amplius non potest. Effectus vero ille, quod vota monastica matrimonium dirimant institutionis est humanæ uti fatetur *Pontifex ih cap. un. de vot. et vot. rendem: in VI.* Inde cum quisque legem, quam ipse tulit, tollere quoque possit, sublatis his voti monastici accessoriis nil omnino ei inerit, quod non insit voto simplici.

§. XXXIX.

At dices: vota solennia sunt Pontifici reservata, ergo saltem Episcopi in iis dispensare non poterunt. Rem acutetigisti. Verum quid, si exmonachis recursus Romam non pateat? an animabus ideo pereundum erit? Omnes melioris notæ canonistæ negant, reservationes pontificias extendendas esse ad easum necessitatis, ubi salus animarum periclitatur; qualem enim attentionem merentur reservationes, quæ saluti animarum sunt impedimento? an coram Deo quidquam valere possunt? An Summus Pastor a Christo institutus prohibere potest, quominus Episcopi nostri, qui itidem Pastores sunt, et

a Spiritu sancto positi regere Ecclesiam Dei, munere suo ab eodem Ecclesiæ Fundatore sibi commisso in salutem animarum fungantur? Et sane quale obsecro in Pontificem exinde redundat præjudicium, si Episcopi exmonachorum in tot peccandi periculis versantium scrupulis succurrant, eosque, ne animæ detrimentum patiantur, ab obligatione votorum liberos pronuntient, qui ob defectum intentionis alioquin liberi sunt.

§. XL.

Vos itaque, qui a Spiritu sancto positi estis regere Ecclesiam Dei, Vos inquam jam obsecro atque obtestor, ut auctoritatem Vestram a Christo Vobis tributam tandem interponatis. Tollite tandem in hominum quoque oculis illa votorum vincula, quæ coram Deo cum ipso monasterio extincta esse cognovistis: declarate exmonachis nihil delinquentibus, declarate et ceteris, quos passitis fidelibus, vota ista ob defectum intentionis obligare desissem, ne plena illorum libertas vesanis vulgi præjudiciis amplius affligatur. Date hoc eorum innocentiae; date saluti animarum; date nostris pro iisdem interpellantium precibus, ne flebilem eorum sortem diutius lugeamus. Prælatos suos Vos ad-

adpellant, facite, ut et patres Vos esse experiantur. En ! qui taciturnos inter gemitus suis quisque inclusus parietibus supplices ad Vos manus tendunt, nihil tam indigni meruere, audite itaque tandem : facite oves vestras eos esse agnoscatis, et pro eo, quo in salutem animarum ferimini amore, justæ petitioni annuatis. Eliminate tandem e terris nostris infesta illa, et tot naufragiis deformia vulgi præjudicia, ne quod indignum seculo nostro foret, immaturæ severitatis vestræ sera adhuc Vos incuset posteritas.



T H E S S.

Ex jure naturali.

§. I.

Dantur leges naturales, quæ necessariæ sunt, universales, et nulli mutationi obnoxiae.

§. II.

Omnis probabilitas illicita est, quæ vinclibili tantum nititur ignorantia.

§. III.

Quare in confictu opinionis probabilis cum probabiliōri, hæc omnino præferenda est.

§. IV.

Autochiria et Polyandria simultanea absolute repugnat juri naturali.

§. V.

Non item Polygynæcia.

§. VI.

Non datur præscriptio de jure naturali.

Ex

Ex jure publico universali.

§. VII.

Iumperanti competere jus vitæ et necia dubitari non potest.

§. VIII.

Leges mere poenales sunt commentum.

§. IX.

Tutor regius non gaudet majestate:

§. X.

Vera religio civitati ejusque fini nullo modo obesse potest,

§. XI.

Imperanti resistere numquam licet.

Ex jure gentium.

§. XII.

Non repugnat juri gentium foedera ini-
re cum iis, qui a vera religione sunt alieni.

§. XIII.

Nec impietas et idolatria alterius gentis.

§. XIV.

Nec potentia vicinæ gentis justo crescens.

§. XV.

Sed sola læsio aliter indeclinabilis est ju-
sta belli causa.

§. XVI.

§. XVI.

Legati ab imperio et jurisdictione gentis, apud quam degunt, sunt immunes.

Ex jure civili romano.

§. XVII.

Potest auctor reo deferre juramentum, licet nihil probaverit.

§. XVIII.

Cessio juris ususfructus extraneo facta facit illud reverti statim ad proprietarium.

§. XIX.

Donatio non revocatur ob supernascen-
tiam liberorum, nisi a solo patrono.

§. XX.

Qui factum promisit, præstando intere-
sse non liberatur.

§. XXI.

Fidejussor in majorem summam acceptus,
tenetur pro summa concurrente.

§. XXII.

Ex hereditate filii in impubertate morientis, cui pater pupilariter substituit, ma-
ter nec legitimam prætendere potest

*Ex jure criminali.***§. XXIII.**

Tortura est medium ineptum eruendæ veritatis, inde illicitum et jure theresiano reprobatum.

§. XXIV.

Poena confisca^{tionis} justa est, licet in liberos redundet,

§. XXV.

Iudex, cui ex privata scientia constat de innocentia inquisiti, eum secundum allegata et probata ad mortem condemnare nequit.

*Ex jure ecclesiastico.***§. XXVI.**

Ad jura romani Pontificis minime pertinet potestas illa, quam vulgo indirectam in temporalia regum vacant. *Syn. jur. eccles. publ. §. 66.*

§. XXVII.

Potestas Episcoporum originis et instituti divini est; igitur eam non a romano Pontifice, sed proxime a Deo nanciscuntur, loc. cit. §. 86. et 87.

§. XXVIII.

Ecclesia jure statuendi impedimenta matrimonii ut sacramenti; Princeps jure statuendi impedimenta ut contra^{ctus} civilis est, gaudet. *Syn. jur. eccles. privat. §. 34.* **§. XXIX.**

§. XXIX.

Hodie aliquati satis juris est, decimas jure divino non deberi, etsi sustentatio congrua ministris Ecclesiæ debeatur: cum nil æquius sit, quam ut qui aliorum ministerio se dedit, ab iisdem etiam sustentetur. *Syn. loc. cit. §. 37.*

§. XXX.

Ex jure regio supremæ inspectionis competit Principi jus placeti regii circa bullas ecclesiasticas.

Ex jure publico imperii romano germanici.

§. XXXI.

Germania non est Systema civitatum, nee Aristocracia, sed Monarchia partim absoluta partim limitata.

§. XXXII.

Ad quam quis pervenit sola elektione.

§. XXXIII.

Jus reformandi pro regula; annus normalis pro exceptione statuendus est.

§. XXXIV.

Itaque introductio simultanei innoxii nequaquam repugnat paci Westphalicæ.

§. XXXV.

Rex Romanorum non tantum majestate personali, sed etiam reali gaudet.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Sine fundamento denegatur statibus catholicis jurisdictione in causis ecclesiasticis suorum subditorum protestantium.

*Ex jure feudali.***§. XXXVII.**

Jus Feudale Allemanicum et Saxonicum praeter usum historicum nullum habet.

§. XXXVIII.

Foeminarum successio in feudis semper presumitur subsidiaria. etiamsi feudum a foemina primitus sit acquisitum.

§. XXXIX.

Folonia a vasallo commissa agnatis innocentibus non nocet.



